

M. PAULI JUUSTEN,

EPISC. QUONDAM AB.

CHRONICON EPISCOPORUM
FINLANDENSIUM,

ANNOTATIONIBUS ET SYLLOGE MONU-
MENTORUM ILLUSTRATUM.

CUJUS

PARTICULAM XLVIII,

CONS. FAC. PHILOS. R. ACAD. ABOËNSIS,

PRÆSIDE

M. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQU. PROFESSORE REG. ET ORD. R. ACAD. LITT. HUMAN.

HIST. ET ANTIQVIT. NEC NON R. SOCIET. SC. UPSAL.

MEMBRO,

Publicæ bonorum censuræ submittit

MICHAËL SYLVÉN,

Stip. Reg., Satacundensis,

IN AUDITORIO MAJORI die XXII Aprilis

A. MDCCXCVII,

Horis ante meridiem convetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

THESES RESPONDENTIS.

THESIS I.

In tellectus humanus quo incultior est, eo fortius ad superstitionem, studiumque futura præsciendi, impellitur.

Thes. II. Cultura vero animi veram promovere haud valet felicitatem, nisi pari passu, quo præjudicia, mores noxii, eisque superstructæ consuetudines pravæ, tollantur, veritatique cedant.

Thes. III. Licet ex pluribus religionibus, in patria toleratis, hodie nihil incommodi nascatur; inde tamen mox concludere haud licet, eam quam superioribus sæculis majores nostri contra Pontificios adhibebant, cautionem atque severitatem, aut iniquam fuisse, aut parum necessariam.

Thes. IV. Falsa illa, cui Muhammedani atque multæ nationes incultæ, crudele Despotarum perferentes jugum, favent, de Fato inevitabili doctrina, levamen quidem aliquod miseris ipsorum afferre videtur; sed simul tamen impedit, ne mala sua excutiant.

Thes. V. Quoniam, Cicerone recte statuente, maxima peccandi illecebra est impunitatis spes; hinc Imperans, nimiam adhibens clementiam, male consulit Civitati.

Thes. VI. Amicitia & humanitas, inter desceptantes servata, multis merito nominibus laudatur.

Thes. VII. Optime Seneca: Non potest grande aliquid, & supra ceteros, loqui, nisi mota mens.

Thes. VIII. In Conclusionem qui clarioribus utitur verbis, quam in Summis, suam, in perspicuitate atque persuasione attingenda, prodit ignorantiam.

Thes. IX. Cum sæpe dicti audimus, regularum severitatem progressui artium elegantiorum obesce; de veris accuratisque regulis concedi hoc non potest: nam ingenii laus rationis scitis repugnare non potest. Sed regulæ sæpe conduntur nimis severæ, imperfectæ, a paucioribus quam par fuit aut casibus singularibus aut generibus abstractæ, sæpe etiam arbitrariæ; quo facto dubium non est, quin multum noxæ gignant, ingenii vim alligando, constringendo, refrigerando, restringendo.

Chronica Russica, a Monachis ignorantibus & cœco suarum rerum studio captis, profecta) Svecis adessent, narrationem suam confirmantia! Quomodo autem res acta sit, & plene & vere, indubia præferentes testimonia atque argumenta, demonstrant TEGEL & V. DALIN l. l. c. c. Regem vero senem, ut haud libenter illud bellum suscepisse, ita neque solito olim animi vigore administrasse, haud obscure animadvertas. Itaque etiam ad pacem, s. inducias renovandas, fuit pronissimus. De misso (a. 1556) in Russiam, hoc consilio, M. *Caruto Johannis*, supra paucis commemoravimus (p. 675); cujus totius rei veram rationem luculenter explicat idem TEGEL l. c. p. 336 sq. & 341 sq. (ubi recte quidem *Canonicum*, sed male *Archiprepositum* Aboënses eum vocans, *Celsium* & *Dalinum* in eundem induxit errorem). Statim post ferias *Henrici* (Translationis suæ) ablegatum fuisse, Auctor scribit: die 4 Julii permissum ei fuisse, ut Russiæ fines intraret, TEGELIUS docet; qui porro eundem reducem, die 24 *Septembris* Regem *Eskilstunæ* adiisse narrat, cum noster die *Bartbolomei* (24 Aug.) Wiburgium rediisse dicat. Quæ optime consentiunt.

y) Hic *Steno Erici (Lejonbuvud)* postea scilicet fuit *Baro* a R. *Erico* creatus.

*) Quos recensent TEGEL l. c. p. 342 & V. DALIN l. c. §. 15, p. 462; qui historiam quoque itineris, & conciliatæ ab iisdem pacis, exhibent. Unde autem HALLMAN, quam l. c. C. XXIV, pag. 119 sq. affert narrationem lepidam, de colloquio inter Archiepiscopum Sveciæ & Russorum Patriarcham de Religione, jussu Magni Principis habito, (cfr. etiam CELSIUS l. c. p. 746 sq. & V. DALIN l. c. p. 463; TEGELIO & MESSENO res ignota fuit) hauserit, B b b b (quum

(quum fontes suos non nisi valde generaliter indicet), investigare non vacavit, ut qua nitatur fide, existimare liceat: quæ si vera est, non modo *Græce* doctum *Agricolam* nostrum fuisse, sed *Russice* etiam, raro sane exemplo, apparet scisse. Initio porro Mensis (die 10) Aprilis a. 1557 Legatos Wiburgum rediisse, TEGELIUS docet (l. c. pag. 352); cum pridie *Agricola*, morbo in itinere correptus, subitanea fuisset morte extinctus. Auctoris autem nostri de loco mortis suæ testimonio (utpote in vicinia versantis & regionis periti) fidendum est. TEGELIUS (cf DALIN p. 464 not.) paullo aliter: „Dagen nåst tilförende bleff *M. Michaël Agricola* dödh på wågben, i een *By utbi Eurepe*, benemd *Sewaste*, når man skulle hielpa honom, effter hans egen begeren up aff Sledan.“ *Abogiam perlatum, sepulchro fuisse commendatum*, male MESSENIUS (*Scon. T. V. p. 112 & Chron. Episc. pag. 116*), ac post eum SPEGELIUS *Chron. Episc. p. 404*. contra Auctoris nostri fidem asserunt, qui *Wiburgo sepultum fuisse testatur* (854).

Cæteris:

(854) Epitaphium ejus vetus cum in *Collezione Palmisköldiana T. 61* (Karelen) p. 417 sqq. servetur, (idem, ut videtur, quod *Cel. Scarin* in *Sacrario Ecclesie Cathedralis Aboënsis*, reperisse narrat RHYZELIUS l. c. p. 345, not. O); illud hic apponere (ut monumentum simul literarium ejus ætatis) placet:

„Epitaphium Reverendi viri M. Michaëlis Agricolæ, Aboënsis Episcopi, qui obiit die IX Aprilis, hora duodecima pomeridiana (!), anno Domini 1557.

Ecce diem tristem lacrymisque rigantibus ora

Dignum, cantari mœsta Thalia jubet.

Sustulit Agricolam quum mors violenta Magistrum,

(Aeterni solitum pandere verba Dei.

Hic puer a primis didicit feliciter annis.



)

(



Cæteris addit *Agricole* nostri meritis RHYZELIUS, eum
a Rege misit in Laponiam, ad populum hunc idolola-

B b b b b 2

tricum

Artes Wiburgi, Pallados arma sequens,
Joannesque usus studio cognovit *Erasmi*
 Dogmata cum summa dexterritate sacra.
 Hinc is discedens Aboënsē venit ad urbem,
 Artibus imbueret pectus ut ipse magis.
 En tunc *Martinus* delegit Episcopus illum
 Ut Cancellarii grande subiret onus.
Hoc is sustinuit septenis sedulus annis,
 Fecit & officium non sine laude suum.
Post venit Albiacas Aboënsis sumibus oras,
 Templi ad Leucoreæ docta Lycea Scholæ.
 Hic artes didicit recte studiosus honestas
 Excoluitque animum religione sacra.
 Sic ut sit merito donatus honore Magistrî,
 Et tulerit nomen jure gradumque bono.
 In patriam rediens Aboënsi præfuit, omnes
 Erudiens summa sedulitate, Scholæ.
 Tradidit & vitam pueris præcepta regendi,
 Ut studiis esset consona vita piis.
 Tandem Divino (dubitat quis?) Episcopus actus
 Numine, præclarum munus in urbe gerit.
 Quam bene tractarit cœlestia dogmata, norunt
 Vivere quos testes fata benigna sinunt.
 Sæpe Papistarum spectacula ludicra taxans,
 Detexit niveo tecta venena cado.
 Nil docuit falsi, nil est meditatus amandum
 Vertere quo posset religionis opus;
 Sed semper tenuit constanti mente professus
 Prolata ex Patris dogmata vera sinu.
 Nec cuiquam motus cœco est blanditus amore,
 Sed retulit firmo corde nefanda mala.
 Hujus ruperunt cito flamina ducta sorores
 Qui longo vitæ tempore dignus erat.

tricum Christi fide saniorique doctrina imbuendum, fuisse (855); valde autem vereor, ne turpi nominum confusione

Hic etenim valido Ruthenica corpore tendens

Littora, cum reliquis inflammata regentis,

Ut fanent mediis corda inflammata regentum,

Et sic tollantur bella cruenta, piis;

In reditu moritur peragens sua secula vitæ,

Cujus *Wiburgum triste cadaver habet.*

Nil testamenti solito pro more reliquit;

Sed testamenti sit labor iste loco:

Finnonico vertit libros idiomate sacros,

Quod multis dignum laudibus exstat opus.“

Habetur ibidem aliud etiam ejusdem Epitaphium, *tumulo* (ut verba fonant) *intitulatum*, hujusmodi:

Hic jacet *Agricola* corpus mortale Magistri,

Qui docuit verbi dogmata pura Dei.

Nunc licet in cineres redigantur membra sepulta,

Attamen ætherea spiritus arce sedet.

Accuratisime apographon horum versuum (quorum ignoramus Auctorem) scriptum esse, non affirmaverim; ex quibus patet, primo, cum *Agricola* antequam Wittembergam proficisceretur, per *septem annos* Cancellarius fuisse (cum *Scriba* antea fuisset ejusdem) doceatur Episcopi *Martini*, qui a. 1528 ad Episcopalem evectus fuit dignitatem; quam absurde anno jam 1529 illuc missus perhibeatur, quo ante annum certe 1535 aut 1536 proficisci non potuit. Deinde, initio ope etiam ipse Episcopi privata (antequam Præbendam *S. Laurentii* ex Regia gratia adeptus esset?) sublatum fuisse, ex verbis colligere queas Carminis: Post venit *Albiacus Aboënsis sumtibus* oras? Nisi ita generatim Auctor voluit intelligi, ut sumtu *Ecclesiæ Aboënsis*, cujus bona administrabat Episcopus, *Agricola* studiorum maturandorum gratia peregre missus fuerit? Tandem, verbis quoque Epitaphii, recte observante *Кнѣзьлю* (l. c.) confirmatur, quod expresse *Juustenus* testatur, *Agricolam* *Wiburgi* (non die 9, quo obiit, sed 11 Apr.) sepultum fuisse.

(855) „Han berettas ock (men året nämnes icke) hafva blefvit af „Konungen send til Lapland, at arbete på thet hedniska folkets undervisning och omvendelse.“

fusione, temere facta, tota hæc narratio nitatur (856), ejus ne minimum quidem vestigium nostra monumenta exhibent. Certius est, virum hunc diligentissimum atque in plurium literarum genere versatum, interpretationem quandam *Juris Maritimi Wisbyensis* Svecice concinnasse, (e Germanico exemplo contracti) (857); cujus nunquam typis editæ (sed quam magno sibi usui fuisse HADORPHIUS fatetur) exemplum Bibliotheca etiam nostra Academica servat.

De filio suo *M. Christiano Agricola*, atque reliquo genere, (cui *Nobilitatem*, adsciscenti nomen *Lejonmarck*, merita sua pepererunt), cf. RHYZELIUS l. c. (ubi recte observat, primum fuisse Episcopum Aboënsē qui uxorem duxisset) & v. STIERNMAN *Matr. öfver Svea Rikes Ridd. och Adel* p. 796 sq. Eundem *M. Christianum* (cujus etiam nati annum a Patre proditum fuisse, supra p. 744 not. sq. 850 vidimus) Rectorem fuisse, paterno exemplo, Scholæ Aboënsis, antequam Sedi admoveretur Revaliensi, discere licet ex *Fol. Hebd. Aboëns.* a. 1773 p. 89 sq. Cfr. Diss. M. PET. JOH. ALOPÆI supra laudat. P. II, p. 28.

B b b b b 3

M. PE-

(856) Ex SPEGELII *Hist. Eccles.* P. I, p. 43 sq. eam hausisse videtur RHYZELIUS (cui solenne est, fontes suos celare); ille nempe cum legisset, a. 1539 ad Lappos, Regis jussu missum fuisse Sacerdotem quendam, Dn. *Michaëlem* (vid. SCHEFFERI *Lappon.* C. VIII, p. 68), statim videtur de nostro *M. Michaële* cogitasse, & nomini ejus cognomen nostri (*Agricolam*) temere addidisse, in memoriam haud revocans, hunc anno jam 1557 diem obiisse supremum?

(857) Vid. HADORPHII Pref. ad editum a se *Jus Vet. Maritimum Wisbyense* (*Wisby Sjö-Rätt*), & *Hist.* nostram *Bibliothecæ R. Acad. Ab.* p. 219; ubi nostro exemplo hujusmodi præmissam esse inscriptionem docuimus: *Siddkört, thet är then högsta och elsta Siddvrett och skipmåla Lagh, som the almeneligh köpmån och skipare haffua skipatt och ordineratt fördom i Wisby på Gottlandh, - - - uthdragin aff Tydskon på Svensko per M. Michaëlem Agricolan, 12. Dec. anno 1549.*

M. PETRUS FOLLINGIUS.

3) *Beanos* esse Studiosos novellos, qui ad Academiam nuper accesserunt, (a voce Gallica *Bec jaune*, ut sunt avicularum quæ nondum e nido evolarunt) docetur in *Glossario Cangiano*, sub hac voce. Hos, antequam plenum jus civitatis Academicæ adipiscerentur, modis variis vexatos olim fuisse atque exercitos, eique præfectum negotio hominem inter *Magistros* delectum, *Depositarii* nomen gessisse, (ut omnem hunc morem insullum atque inconditum, *ritum Depositionis*, s. *Depositionem* audivisse), notum est; a quali stultitia nec Patriæ Academiæ superiori seculo immunes fuisse, constat. Hujusmodi igitur officio Hafniæ functus fuerat *Follingius*; quem male *Fullingum* vocat MESSENIUS (cum in *Chronico Episcoporum*, tum Scandiæ T. X. p. 27), *Follingum* RHYZELIUS l. c. p. 346, qui eum (pro more) eximie laudat, nulla vitiorum, quæ in illo reprehendit Auctor noster, (eruditionem ei cæterum haud denegans) turpissimorum mentione facta.

a) *Doctorem* hunc *Andream*, Jurisperitum, parum nobis cætera notum, (qui neque quo officio, hic in Finlandia, functus, neque quibus meritis gratiam Regis occupatus sit, hætenus rescivimus), & *Johannem Thomæ Quæsterem* (*Regis Camerarium*, ut alibi vocatur. cf. Diss. L:ni BERONII, supra laud. p. 8.) Fennis vehementer fuisse invidios, ex Epigrammatis (ineptissimis) in eos fuis, quæ conservavit in Collectione sua PALMSKÖLDIUS (N:o XIV *Topogr.* T. 59, *Åbo, Åland*, p. 375) colligere licet (858).
Caus-

(858) *Epitaphium* nempe *Johannis Thomæ*, tale est:
Johannes Thomæ, Danicæ gentis,
Vix habet micam humane mentis.

Causam, cur Regi *Petrum* hunc *Follingium* duumviri illi inprimis commendarent, Auctor odium fuisse prodit *linguae Fennicae*; quam cum alter *Svecus*, alter *Danus*, ipsi scilicet ignorarent, æquius utique atque sapientius censebant, ut quinquaginta myriades Fennorum ad patriam linguam abjiciendam adigerentur, quam ut ipsi sui que amici, (viginti fortassis numero?) molestiam subirent linguam discendi gentis, cui præse cupiebant! Cujusmodi consilia, nostris quoque temporibus, unum aut alterum hominem ingenii scilicet subtilis, et æqui justique amanti, nonnunquam agitasse, novimus! Nihil sane est quod hi Italorum damnent rationem, qui ut homines suæ gentis molestia liberarentur linguas peregrinas discendi, callide olim sciscebant, ut cultus Divinus per totam Europam Latine celebraretur: patuit enim sic ubique sibi aditus facilis ad præcipuas dignitates Ecclesiasticas suis vindicandas; parvique cæterum referebat, quem usum ex tali cultu religioso tot populi habituri, aut quæ incommoda inde experturi essent? — Cfr. quæ contra stulta non minus quam iniqua hujusmodi consilia disputavimus in *Fol. Hebd. Aboëns. a. 1793. N:o. 13.*

b b) Non itaque satis fuit, quod bonus hic Doctor Ecclesiæ loqui cum auditoribus sine interprete non posset;
fed

(De *Johanne Thomæ*, *Hans Thomason*, a. 1556 *Præfetto Arcis Aboënsis*, alio ab hoc? cfr. V. DALIN. l. c. pag. 458).

Epitaphium vero *Doctoris Andree* hujusmodi est:

Doctor Andreas Neritianus,
 Semper infamit, quasi infanus.

Patriam tamen utriusque ex infamis non minus quam infestis his versibus cognoscere licet.

sed turpi etiam avaritia odiosum se reddidit! Cujus pravitatis eum graviter accusans, religioni sibi tamen Auctor duxit (!), exemplis afferendis rem plenius demonstrare Non autem ob justas has causas munere exutum fuisse docet, sed propter quasdam suspiciones quas de eo conceperat Rex Ericus. Sine dubio fratri suo Duci Johanni nimis deditum Rex existimavit, (Messen. Chr. Rb. Finl. p. 55, Scand. T.X. p. 29.); de cujus fide dubitandi, haud leves habuisse causas videtur. Cfr. V. DALIN l. c. C. IX, §. 21, p. 560 sqq. & CELSIUS K. Erik XIV:s Hist. (Ed. II Lund 1795) pag. 135 sqq. Deinde eundem post biennium (a. 1565) ab eodem Rege Episcopum Revaliae fuisse constitutum, additur in Codice Chronici nostri vetustissimo, quem Academicum vocare soliti sumus (in Bibliotheca nostra Acad. servato), & Mennandriano (quo illo etiam postea, beneficentia Generosissimi D:ni FREDENHEIM, Bibliotheca Academica aucta fuit) (859). Revalia autem Aboam (ubi igitur interim, dum munere caruerat, mansisse putes?)
 pro

(859) Scriptus hic est manu Gabrielis Peldan, Pastoris olim Ecclesie Ilmola in Ostrobotnia meritissimi, (cujus vitam breviter descriptam dedimus in *Fol. Hebd. Ab.* a. 1792 N:o 45 & 46), qui eundem contulisse reperitur & cum Codice Brenneriano (nostro Academico) & cum alio quem fratris sui, *Israëlis Peldan* (Rectoris olim Eccles. Cathed. Ab.) fuisse notat, adscriptis margini lectionibus utriusque variantibus. Præterea accessit nuper, dono D:ni *Gustavi Rancken*, Choralis ad Ecclesiam Cathedralē Aboënsē meritissimi, Bibliothecæ Academicæ Codex Chronici nostri tertius, Soceri olim sui (quem *Rothovianum*, nomine pristinorum possessorum, vocabimus), lectiones ille etiam quasdam bonas habens: quas inter fortasse referas, quod de *Flemingis* (supra pag. 39) habet: „D:nus „Iwarus, & D:nus *Ericus Fleming* (*Fleming*), Decemb. 19, qui postea „sepelitur „(ita ut ad *Ericum* tantum referri veli?)“ in Pargas Dec. „79.“ (Cfr. supra p. 712).



pro rebus suis inde transferendis, *vediens*, ibi eodem anno mortuum fuisse, porro docetur. Unde emendandus est RHYZELIUS, qui l. c. eundem, post amisum munus Episcopale, in Ostrogothiam (natalem suam regionem; nam in prædio *Follenge*, prope *Skeningiam*, lucem adspexisse idem tradit) se recepisse, ibique non multo post, annis gravem obiisse, narrat.

M. PAULUS JUUSTEN (*).

Quæ pro vita illustranda viri meritisissimi, cujus diligentia *Chronicon* debemus (unicum in suo genere rerum veterum Fennicarum monumentum) quod hæcenus explicare, confirmare atque supplere conati sumus, colligere potuimus; ea hoc loco, coronidis instar adjiciemus. Primum igitur adjungere placet fragmentum, vitæ suæ primam atque maxime ignotam partem complectens, ab ipso ut videtur, (aut ab amico aliquo cævo atque rerum suarum peritissimo?) profectum. Exemplo illud Chronici nostri, quod olim possederat magnus monumentorum Patriæ conquisitor, nobiliss. *Abrab. Ericus Gyllengrip* (quoque uti nobis amice permisit b. *Sigfr. Laur. Gabm*, ille etiam, dum viveret, talium rerum collector diligentissimus; post cujus mortem quo pervenerit, nescio) adjectum reperimus, vitiosus a librario rudi descriptum: quare loca corruptiora, critica ope adhibita, sanare simul conabimur. Tale autem illud habetur:

C c c c c

VICE-

(*) Ita ipse semper nomen suum scripsit (duplici *u*, vel *w*, h. e. prima syllaba producta, altera correpta); quem morem etiam æquales sui sequuntur. De origine nominis infra loquemur.

VICESIMUS SEPTIMUS.

„M. PAULUS JUSTEN (a), natione Wiburgensis. Hic
 „succesfit Petro Follingio in Episcopatu Aboënsi. In ejus
 „vero locum (b) Wiburgi substitutus fuit M. Canutus,
 „beatæ recordationis, qui ibi obiit anno (c) Domini
 „1564 (d). Ad studia literarum (e) adhibitus est Paulus
 „in tenera sua ætate, Rectore adhuc Johanne Erasmi, fe-
 „licis recordationis, antequam ille in Cancellarium D:ni
 „Episcopi Martini vocaretur. Sed qui Dn. Johanni (f)
 „in officio Rectoratus succesferant, non erant æque fide-
 „les, diligentes aut felices in juventute instituenda; donec
 „quidam Dn. Clemens, natione Danus, labores (laborem?)
 „docendi pueros in se suscepit. Erat is Concionator
 „D:ni Comitis Johannis von Hoyen in Brockenhausen (g),
 „qui fuit gener (h) Serenissimi & Clementissimi D:ni Re-
 „gis Gustavi. Ille D:nus Clemens primus in Schola Wibur-
 „gensi inchoavit lectionem Terentii & Virgilii; sed &
 „ille secutus est D:nam Margaretam, relicto Wiburgo, an-
 „no D:ni 1534, dum Comes (i) ipse a Regno Sveciæ
 „ad

(a) Rectius Juusten.

(b) In Apographo nostro absurde legitur *domo*.

(c) Habet idem absurde *primo*.

(d) Cfr. supra pag. 676 & 680 not. (780).

(e) Absurde legitur *horum*.

(f) Male habet *Johannem*.

(g) Habet *Bråkenhusen*. Comes scilicet fuit *de Hoya & Bröckhausen*.

Cfr. V. DALIN l. c. C. 2, §. 24. pag. 113.

(h) H. e. *Affinis*, qui Sororem ejus in matrimonio habuit. Qui enim hodie nobis *Swäger*, olim *mag*, *måg*, vulgo appellabatur.

(i) Legitur absurde *Canutus*.

ad perfidos Lubecenses defecit: quasi ditiones *Wiburgum*, *Savolax*, *Satacundia* & tractus *Borgoënsis* (k) non sufficissent ejus dominationi. Recte igitur Poëta: Non facile est æqua mente secunda (l) pati. In locum ejus Dni Comitum (m) successit nobilis & providus vir *Nicolaus Grabbe* (n), vir pietatis & omnis honestatis amans, anno Dni 1536 (o), cum jam *Paulus* utroque parente orbus eslet. Pater enim ejus ante sex annos, mater vero ante tres annos (tunc enim *Wiburgi* pestis gravissima sæviit) in Dno obdormiverant. Profectus est ille in Scholam *Aboënsis*, & præcedente autumno ex *Witenberga* redierat *M. Thomas Francisci*, qui factus Rector Scholæ reduxit Scholasticos ad prima artis Grammatices initia recte percipienda, ne (p) in aliis artium descendis elementis a principiis & fontibus aberrarent, sed ordine perciperent quidquid addiscendum erat. Simili diligentia & fidelitate tradidit etiam suis auditoribus rudimenta Christianæ Religionis; sicut hæc omnia iu Schola *Witenbergensi*, magna dexteritate studiosis proponi audiverat. Dum in hoc stadio (q) biennio versatur *Paulus*, revocatus eum ad se Reverendus Pater Dnus Episcopus *Martinus*, ut apud se lectorem mensæ ageret; idque maxime consilio Magistri *Simonis Wiburgii*, qui prima vice nunc ex *Germania* redierat; & simul factus est *Hypodidascalus* Scholæ *Aboënsis*. Erat tunc in Aula non admodum peroptanda consuetudo, quod adolescentes bo-

C c c c c 2

na

(k) Ergo plus etiam habuit, quam tradit Nob. V. DALIN l. c. C. §. 2. pag. 254 not. (a).

(l) Legitur absurde omnia.

(m) Rursus *Canuti*, absurde.

(n) *Grobbe*, male. (o) Forte 1534? Cfr. supra p. 710 not. (812).

(p) Habet neque, male. (q) In Ms. Legitur studio.

na aliqua indole præditi, ex medio cursu studiorum suorum etiam invitati raperentur, nulla habita ratione utrum ad aulica officia, vel ad alias humaniores artes discendas, essent idonei (*). Ne autem id fieret, procuravit Dn. Episcopus, ut *Paulus* ille, quem in familiarem suum suscepit, Sacris Ordinibus initiaretur; quod factum est anno Dni 1540. Quia vero Schola Wiburgensis, post spontaneam resignationem *Simeonis Letb* (?), Rectore caruit, injunctum fuit illi a Venerabili Capitulo, ut eo se conferret, donec de commodiore Rectore substituendo, deliberari & prospici potuit. Obedivit ipse illorum auctoritati, non libens; intellexit enim se impari esse, tunc illi vocationi, quæ multarum bonarum rerum cognitione opus habet. Fecit autem in re, velut adhuc adolescentior, quantum potuit, non quantum debuit. Inde vocatus ante completum biennium, missus est in Germaniam, ut & ipse solidiorem bonarum artium & doctrinæ Theologicæ cognitionem consequeretur, atque (&?) aliis eam deinceps majori fructu & dexteritate communicaret. Aggressus est iter illud, rebus antea dispositis, die Sanctorum Angelorum, quos sibi a Deo, maximo gemitu petierat comites suscepti itineris. Witebergam pervenit circiter ferias *Martini*, & post octiduum a beanissimo depositus, præsentibus eruditissimis & egregiis viris, M. *Simone Wiburgio* & M. *Magno Botvidi* (s), cum.

(*) Penuria nempe hominum, quibus in negotiis quibuscunque civilibus uti Rex posset, tanta fuit, ut adolescentes ex Scholis requirere, & etiam invitos sæpe cogere, ad munia varia obeunda adhibendos, necesse haberet. In qua re non semper Rectores Scholarum sibi habuit sincere faventes. Cfr. supra p. 725 not. 829.

(s) Cfr. Indicem *Erasmii Nicolai* (supra laudatum pag. 723) not. 828) apud Cel. GJÖRWELL I. c.

cum reliqua turba popularium suorum, qui eo ex Sve-
 23 cia studendi gratia confluerant: factum est id sine anni
 23 1543. Præcedenti anno erat in Svecia seditio Rustico-
 23 rum Smolandensium, quam in Svecia vocamus *Ducke-*
 23 *fejð*. Eam (t) Serenissimus & Clementissimus Rex, Dei
 23 suffultus auxilio & sua regia industria, magna potentia
 23 compescuit & devicit. Habuit (u) Witenberga tunc vi-
 23 ros in omni genere Facultatum eruditissimos, Dominum
 23 Doctorem *Lutherum*, *Pomeranum* (v), *Philippum* (x),
 23 *Crucigerum* (y), *Majorem* (z), *Paulum Eberum*, *Erasmum*
 23 *Flavum* (aa) & *Reinholdum* (bb) &c. Hos audivit ipse
 23 de gravissimis rebus disferentes. Quibus & suum judi-
 23 cium de multis controversiis Christianæ Religionis con-
 23 firmavit, ac (&?) meliorem cognitionem & usum bona-
 23 rum artium sibi comparavit. Mansit Witenbergæ tan-
 23 tum triennio; quod ab eo tempore non erat ibi locus
 23 musis, propter bellum exortum inter Cæsarem Caro-
 23 lum & Ducem Saxonæ cum aliis Evangelicis confœde-
 23 ratis. Dissipato igitur toto cœtu Universitatis, manserat
 23 ille hyeme partim - - - - - (cc), partim Magdeburgi,
 C c c c c 3 &

-
- (t) Ms. Absurde Erat.
 - (u) Ms. Habet, male.
 - (v) H. e. Johannem Bugenhagen.
 - (x) Phil. Melancthonem.
 - (y) Casparum Crucigerum.
 - (z) Georgium Majorem.

(aa) Hic quis significetur, nescio; cumque ordinem totum Pro-
 fessorum, illo tempore, Wittenbergenfium haud cognoscam, locum mu-
 tare non audeo, quamvis suspicer *Matthiam* fortassis *Flævium* legendum
 esse? & (bb) *Erasmum Reinholdum*,

(cc) Hoc legere nomen non poteram. Ductus quasi literas *queveß*
 offerre videbantur: an *Serveßæ* Auctor scripserat?

„& vere proximo sequenti contulerat se *Rostochum*, inde ad *Regium Montem*; ibi tota æstate commoratus est, audiens Doctoris *Sabini* (dd) lectiones, *Staphyli* (ee) & aliorum qui in Academia erant (ff) Profesores. Illo vere, anni 1547, captus est *Johannes* (gg) Dux Saxonie a Cæsarea Majestate, die Marci Evangelistæ (hh).“

Post reditum ex Germania (a. 1547 autumnus?) a R. *Gustavo* obtinuisse *Præbendam Clericorum* narrat RHYZELIUS l. c. Anno vero sequente Rectorem Scholæ Aboensis ab eodem Rege constitutum fuisse, PALMSKÖLDII etiam testimonio confirmatur (*Collect. N:o XV. Bibliogr. Suiogoth. T. X. p. 249*), qui ad Acta Archivi Reg. (*Registr. R. Gustavi I, a. 1548 lit. R. pag. 14, 15*) provocat. Huic officio præfuit, inter Capitulares simul Aboenses totius Diocesis auram agens, donec illa in duas partes divisa, Wiburgensem Episcopam, a. 1554, nostro committere, Regi placeret. Cfr. supra pag. 41 & p. 746 sq. not. 853. Novam hanc spartam cum per novem annos ornasset, ad Sedem Aboensem fuit a R. *Erico* translatus (vid. supra p. 45), qui in locum exuti munere *Follingii* nostrum suffecit. Hic literas illas communitorias anno sequente (1564 d. 14 Decemb.) ad Pastores Ecclesiarum in Norfinnlandia dedit, quas exhibet RHYZELIUS l. c. *Append. pag. 151* sq. Quod autem ille narrat (ib. p. 347), nostrum simul Wiburgensem

(dd) *Georgii Sabini.*

(ee) Ms. Habet *Stephani*. Sed jam *MESSENIUS* (in *Chronico Episcoporum*), quem idem hoc fragmentum oculis usurpasse apparet, habet *Staphylum*.

(ff) Ms. *fuerant*.

(gg) *Johannes Fridericus*, (hh) D. 25 Aprilis.

burgensem Dioecesim, ad mortem usque suam retinuisse, falsum omnino est; nam supra vidimus (p. 45.), & statim sibi in Sede Wiburgensi (a. 1563) successisse M. *Camutus Johannis*, & eo (sequente mox anno) vita defuncto, (cf. p. 680 not. 780) M. *Ericum Herkepaum* anno 1568 eidem fuisse Dioecesi praefectum, qui nostro supervixit. Cfr. *Pol. Hebd. Ab.* a. 1793, N:o 1. De infelici legatione sua Russica (quam jussu suscepit R. *Johannis*, non, ut male habet RHYZELIUS l. c. *Erici*, qui Regio diademate jam fuerat exutus) narrationem, ab ipso literis consignatam, olim edidimus (860): de qua igitur nihil hic addere opus est. Rediit autem inde, non anno demum 1773, ut ibidem habet RHYZELIUS, sed initio jam anni 1772, ut ipsa eadem laudata nostri docet Narratio s. Itineris Ephemerides (861). Dum vero captivus in Russia ultra biennium detineretur (ubi crudelissime & indignissime a feroci barbaro tractabatur), ut triste otium falleret animique moerorem levaret, Ecclesiaeque suae simul aliquid tamen utilitatis pareret, non modo *Explanationem* (s. ut ipse vocat, *Fragmenta in explanationem*) *Euangeliorum Dominicalium & praecipuarum feriarum totius anni*, Latine elaboravit, (quam Ecclesiarum Pastoribus, Saccellanis & aliis quibuscunque Verbi Dei Ministris Finlandensibus, Epistola praemisa dedicatoria consecravit), Ms. adhuc in Bibliotheca R. Acad. Aboensis servatam (862);

sed

(860) Dissertt. Acadd. III, *Narrationem R. V. Pauli Juusten, Episcopi Aboensis, de Legatione sua Russica exhibentes*, Aboe 1775, 4o.

(861) Discere hoc potuisset cum a PET. PETREJO (*Regni Muschovitici Sciagraph.*) L. II. p. 42 sqq. tum ab AEGID. GIRS (*K. Johan III:s Chronicka*) p. 6 & 31 sqq.

(862) Codicem hunc (de quo etiam RHYZELIUS l. c. not. R, commemorat) breviter descriptum dedimus in *Hist. Bibl. R. Ac. Ab.* p. 144 sq.

sed etiam *Catechismum* Fennice versum (quem videre nobis haud licuit) atque anno 1574 Stockholmiæ typis editum (863). Servatur etiam in Bibliotheca Academica Ms. Oratio ejusdem Synodalis (sæpius jam nobis laudata) post reditum hic Aboæ habita, s. ut ipse vocavit, *Capita rerum Synodicarum recitata in Synodo Aboënsi anno 1573* (864), Editionem etiam *Libri Misialis* Fennici, plenioris quam quo hæctenus Ecclesia Fennica usâ fuerat (ab *Agricola* edito), anno 1575 Stockholmiæ typis imprimi, curavit (865; ut de *Chronico* suo *Episcoporum Finlandensium* quod quo anno concinnaverit, nescimus) nihil addamus. Ex quibus omnibus patet, eum laudatissimum *Agricolæ* de Ecclesia Patria bene merendi studium, fuisse præclare æmulatum. Adeo sese prudenter in rebus civilibus gessisse reperimus, ut neque R. *Erici* suspicionem in se excitaverit,

(863) Hic neque Reverendiss. MENNANDRO innouerat; ita ut vereamur, ne jam proflus perierit. Notitiam autem ejus exhibet PALMSKÖLDIUS (*Collect.* N:o 15, *Bibliogr. SvioGoth.* T. X, pag. 255, ubi hoc modo describit: „Catechismus, Suomenkielen (Suomenkielin, i. Suomenkielen?) tulkittus (tulkittu; i. tulkitus?) ndisettu ja Jumalisten ja caurinkien Rukousten ja Ristös-sanaain canssa endetty, ja surella wisudella koottu Suomenlaisen hywäxi ja jocapäiwäsexi tarpexi, sekä cõtona cõtä matkas. Paulus Juusten Aboen. Anno 1574, 8:o. In fine: Tulkittu suures fangiuxes olles, mutta painettu Stocholmisa Amund Lauritzan pojalla anno 1574.“ Lutheri fuisse *Catechismum* credas, Fennice a nostro versum, atque *Precum* formulis variis auctum? Sub captivitate sua fuisse elaboratum, ipse in fine significavit,

(864) Etiam hæc Oratio (de qua cir. *Historia* nostra *Bibliotheca R. Acad. Aboënsis* p. 215) haud inutilis est, ad statum Ecclesiæ nostræ, qualis iis temporibus & proxime præcedentibus esset, cognoscendum.

(865) Cfr. *Fol. Hebdom. Aboëns.* a. 1796; N:o 21.